

co propter repletionem, cum sint indivisibiliter, sed propter unitatem operationis.

XXVIII. Quod si dicatur: Quia Angeli sunt diversæ speciei, et consequenter operationes eorum semper sunt diversæ speciei: ergo si applicentur eidem loco materiali, nunquam se impediunt, sed semper erunt simul, quia semper operationes eorum erunt diversæ. Et tamen hoc non videtur conducere ad pluralitatem loci, dummodo istæ operationes exerceantur respectu ejusdem spatii, sicut in loco corporeo parum interest quod superficies continentes sint diversorum corporum secundum speciem, v. g. superficies aquæ, vel aeris, dummodo omnes contineant in eodem spatio: ergo similiter licet plures Angeli distinctæ speciei contineant eundem locum, non facient distinctum locum spiritualem, respondetur quod Angeli, licet sint distinctæ speciei, possunt tamen producere etiam effectus ejusdem speciei, v. g. motum localem, vel lucem, quia non repugnat virtutem superiorem producere effectum ejusdem speciei cum inferiori, sicut homo movetur localiter progressive, et etiam equus, vel canis, et sol producit lucem, et similiter ignis; sic similiter possunt duo Angeli specie distincti convenire in aliqua operatione, vel effectu specifico secundum rationem communem spiritualis substantiæ, licet virtus unius sit perfectior quam alterius. Et tunc si Angeli operentur in loco materiali diversum effectum specie facient distinctum locum spiritualem, seu formalem, de quo statim dicemus. Si autem eundem effectum specie velint operari, tunc se impediunt, et non poterunt esse in eodem loco materiali, nisi eo modo quo statim dicemus.

XXIX. Illud vero exemplum de

superficie continente, et locante quando est diversæ speciei, non est ad propositum, quia licet illa corpora sint diversæ speciei in sua substantia, tamen in ratione quantitatis locantis, et ambientis sunt ejusdem rationis, quia quantitas non convenit corporibus ratione speciei, sed ratione generica corporis. Cæterum Angeli habent contactum ratione virtutis operativæ, quæ potest sequi speciem, et secundum diversas virtutes, fiunt diversi contactus, et consequenter resultant diversa loca spiritualia, seu formalia, id est, in ratione attacti, licet in eodem spatio materiali. In Angelis autem, ut jam diximus, ipsa præsentia, seu ubi non respicit primo, et per se spatium, sed contactum agentis ad passum, et ex consequenti spatium in quo fit talis contactus, sicut anima primo, et per se respicit corpus informando, et ex consequenti spatium in quo informat.

XXX. Secundum dictum D. Thomæ est, quod si Angeli existant in loco secundum contactum operativum ejusdem effectus, et se habeant tamquam causæ completæ, et perfectæ, id est, totales, talis effectus, repugnat quod duo Angeli simul sint in eodem loco formali. Vocatur locus formalis ipse effectus, seu contactus, ratione cujus formaliter sunt in loco, eo quod, ut diximus, locatio Angeli non respicit directe spatium, sed agentiam, seu contactum, et simultatem agentis ad passum; locus autem materialis dicitur corpus illud seu spatium in quo exercetur.

Ratio est, quia non potest idem effectus numero exire a duabus causis totalibus, et adæquatis creatis, ut late probavimus in II physicorum, qu. XII, cum ergo Angeli, juxta nostram sententiam, sint in loco tamquam formæ, seu virtutes activæ, et per contactum activum, juxta hoc re-

gulandum est, an possint plures Angeli esse in eodem loco formali, videlicet an possit idem effectus procedere a duabus causis totalibus. Quod quia in omnium sententia certum est, saltem naturaliter id esse impossibile, quia ad minus est superfluum, et superfluitatem natura abhorret, non solum in istis causis inferioribus, sed multo magis in entibus perfectissimis, sicut sunt Angeli: et in nostra sententia etiam de potentia absoluta id videtur impossibile, loquendo de causis creatis adæquatis, ut in loco citato late expendimus, ideo absolute existimamus non posse plures Angelos esse in eodem loco formali, quando operantur ut causæ completæ, et adæquatæ eundem effectum, quia locus formalis Angelorum, ut diximus, est effectus, seu contactus virtualis Angeli ad passum. Qui vero tenent Angelum existere in loco ratione suæ indivisibilis substantiæ, vel modi superadditi erga locum, non apparet qua ratione negare possint, plures Angelos posse esse in eodem loco, seu spatio, cum non appareat in tali substantia, vel modo spirituali repugnantia aliqua, et oppositio respectu ejusdem loci corporalis, cum non habeant quantitatem, qua se invicem excludant.

XXXI. Tertium dictum quod sumitur ex D. Thoma in hoc articulo II, q. LII est, quod de facto, et ordinarie Angeli non sunt in eodem loco formali, possunt tamen absolute loquendo esse quasi præternaturaliter, et per accidens, ut si duo Angeli pluresve partialiter, et inadæquate ad eundem effectum concurrant, vel unus sit in eodem loco per passionem, et alius per operationem. Primum constat ex doctrina D. Thomæ, quia Angeli sunt in loco, et tangunt illum per modum continentis perfecti, quia cum sint entia suprema in universo, non operantur

tamquam agentia insufficientia, nec decet eorum dignitatem (præsertim in bonis Angelis) quod operentur sicut agentia partialia per se loquendo, quia hoc sonat quamdam insufficientiam. Unde per se, et ordinarie loquendo, quilibet Angelus operatur ut agens perfectum, et perfecte continens effectum. Nec obstat quod Deus cooperatur simul cum creatura: hoc enim non facit Deus ut partialis causa, sed ut prima, et superior, quæ facit ut causæ inferiores faciant. In genere autem primæ causæ est solus, et non est alius præter eum. Cæterum per accidens non repugnat quod accommodent suam virtutem, quæ alias esset sufficiens ad totum effectum, et attemperent illam ut partialiter conjungatur cum alio ad eundem effectum faciendum, quia cum sint agentia libera, possunt moderatione uti in exercitio suæ virtutis, et sic coaptare illam cum virtute alterius in ordine ad eundem effectum. Et tunc dicentur esse in eodem loco formali, id est, in eodem effectum, seu contactu partialiter, et inadæquate procedente a multis. Quare D. Thomas locutus est in articulo illo tertio solum de modo existendi in loco connaturaliter, et ordinarie, ut bene advertit Cajetanus super eundem articulo; tum quia D. Thomas non posuit conclusionem de possibili, sed de inesse, et sic non loquebatur de eo quod absolute posset fieri; tum quia loquitur expresse de pluribus motoribus perfectis, et completis. Quod autem Angeli semper sint agentia perfecta, et totalia, non habetur nisi ex quadam convenientia, quia sunt supremæ causæ in universo, et consequenter semper operantur perfecte, quod non esset si operarentur partialiter. Quod tamen non procedit de possibili, sed de eo quod modus connaturaliter postulat. Dum enim sint causæ li-

beræ, bene possunt virtutem suam contemperare et non uti illa secundum totam sufficientiam; et sic operari poterunt eundem effectum numero per inadæquatas operationes.

XXXII. Nihilominus tota hæc resolutio D. Thomæ et ejus ratio displicuit p. Vasquez disp. cxciii, c. ii et iii. Et primo objicit contra ipsam conclusionem, quia non est superfluum, nec impossibile plures Angelos esse in eodem loco physice, cum constet eundem hominem posse intra se habere plures dæmones, sicut Lucæ viii dicitur quod: *Erat in homine legio dæmonum*, et in arreptitiis, plures dæmones esse solent: ergo id negandum non est. Nec valet distinctio Cajetani et Ferrariensis de loco materiali, et formali: nam si semel concedatur posse duos Angelos esse in eodem corpore, dicendum est quod sunt in eodem loco formali, quia ad rationem formalem loci non spectat fundamentum, et contactus existendi in illo quod est operatio, sed materialis locus Angeli est ipsa latitudo, vel longitudo corporis, formalis autem ratio est respectus distantiae ad puncta fixa, sicut in loco corporum superficies ambiens est locus materialis, respectus autem ille est formalis ratio.

Confirmatur, quia unus Angelus potest expellere alium de loco aut detinere, quod non posset esse, nisi simul coexisterent in eodem loco. Certe existente Angelo custode in nobis, vel circa nos potest dæmon accedere ad tentandum, alias non posset tentare dæmon nisi absente Angelo: ergo possunt simul illi spiritus esse in eodem loco.

Respondetur ex dictis, plures spiritus posse esse in eodem loco materiali operando diversas res, seu effectus: posse etiam partialiter conjungi, et contemperare suas

virtutes in ordine ad eundem effectum numero producendum, potuisse etiam plures dæmones esse in eodem homine, unoquoque occupante seu operante in aliqua parte valde parva corporis, specialiter illam torquendo, neque oppositum hujus probat Vasquez aut aliquam rationem contra id affert. Potuerunt etiam, ut supra dicebamus, in eadem parte, aut toto corpore simul esse tamquam in materiali loco, seu materia suæ operationis, sed diversos effectus, seu torturas inducendo, aut partialiter ad eandem concurrando: partialiter enim concurrere non est inconueniens in dæmonibus, qui principatum, et dignitatem suam non servant. Quod vero dicit contra distinctionem de loco materiali, et formali, frivolum est, quia licet in loco corporum respectu ad puncta fixa sit aliquid formale respectu superficiei ambientis, tamen locus Angeli spiritualis est formaliter, et secundum operationem virtutis. Totum autem illud quod in loco corporeo est superficies, et respectus distantiae ad puncta fixa materialiter, et secundario se habet in loco Angeli; ipsa enim Angeli substantia non potest immediate, et directe fundare respectum distantiae ad talia puncta; et ideo quod formale est in loco corporum, materialiter se habet respectu loci Angeli: formale vero loco angelici est id quod ad spiritualitatem pertinet, scilicet contactus virtualis, et operatio virtutis, unde resultat ubi angelicum, quod directe non est ad spatium, seu distantiam, sed secundum habitudinem agentis ad passum, continentis ad contentum, sicut præsentia animæ ad corpus et corporis Christi ad species pro materiali respiciunt distantiam ad puncta fixa spatii hujus universi, quatenus corpus, cui adest, in loco est.

Ad confirmationem respondetur, quod quando unus Angelus expellit alium physice a loco, et non solum moraliter per imperium, tunc operatio Angeli expellentis non est simul cum operatione Angeli expulsi, quia potius si expellit illum, non est cum illo, nec supponitur prius tangere alterum Angelum, quam expellere, quia iste contactus est activus: et sic prius inducit effectum operationis, qua expellit, quam simul coexistat cum expulso. Quod si tandem necesse sit Angelum expellentem alium a loco, tangere simul eundem locum, ut alter expellatur, id faciet per contactum superioris virtutis, ita vehementem, et contrarium contactui Angeli expellendi, quod non permittat illum esse simul in eodem loco. Unde talis contactus expulsivus alterius Angeli non sufficit quod sit superioris virtutis, et diversæ speciei, ut sit in eodem loco simul cum altero contactu, sed debet esse contrarius, et appositus illi, alias non expellet illum, quia hæc expulsio non est per quantitatem, sed per contrarietatem operationum, et effectuum. Unde non oportet quod tales contactus expulsivi sint simul cum re expulsa, sed ad positionem unius tollatur alter. Et ad id quod dicitur de Angelo custode dicitur, quod etiam ipso non recedente, potest dare locum dæmoni tentanti, quatenus ex diversis partibus intra eundem hominem possunt inchoare suas operationes, et immutare corpus, sed phantasiam, unus ad suggerendum bonum, et alter malum. Sed tamen unus suggerit unum præparando tales, vel tales species, potest alter alias species oppositas præparare, ut vivacius moveant, et sic circa diversa operari simul.

XXXIII. Secundo objicies: Quia si propter aliquam rationem non possent plures Angeli esse in eodem

loco, maxime propter rationem D. Thomæ in hoc articulo tertio, quia scilicet non possunt duæ causæ perfectæ simul ad eundem effectum concurrere: hæc autem ratio non est sufficiens; tum quia non repugnat unum Angelum juvari ab altero in aliquo effectum, sicut plures dæmones, ut magis torqueant in eodem homine sunt. Et hoc vel propter liberum modum operandi, quia possunt uti non tota efficacia suæ virtutis, sed contemperando illam cum virtute alterius, ut uterque partialiter se habeat, et inadæquate, vel etiam quia ipse effectus tantus est, ut non possit ab uno solo Angelo fieri, ut si unus Angelus, v. g. posset movere velocitate, et fortitudine ut octo, effectus vero sit tantæ difficultatis, quod exigit velocitatem, seu fortitudinem, ut viginti, tunc oportebit alium Angelum conjungi cum isto ad faciendum eundem effectum: ergo erunt simul in eodem loco; tum etiam quia possunt duo Angeli operari in eodem corpore diversas operationes, v. g. unus motum rectum, et alter circularem: ergo saltem tunc poterunt esse simul in eodem loco. Sicut etiam sunt intra hominem simul cum anima informante corpus.

Respondetur ex dictis, posse Angelos sic operari, et esse in eodem loco per inadæquatam operationem, seu partialem influxum in aliquem effectum. Hoc tamen non est ita connaturale ipsis Angelis propter suam perfectionem, et dignitatem, quia semper partialitas influxus sonat quamdam insufficientiam. Absolute tamen non repugnat id fieri si voluerint Angeli uti sua virtute partialiter, et inadæquate cum altero. Quando vero effectus aliquis excedit virtutem alicujus Angeli, existimant aliqui quod etiamsi advenitur duo Angeli, non poterunt causare talem motum, quia etsi vir,

tus agentis corporalis possit intendi ex conjunctione alterius virtutis, non tamen virtus spiritualis operativa circa materiam exteriorem. Quod tamen non video quo fundamento dicatur, quia licet potentiæ non sint capaces intensionis, tamen conatus potentiæ, et operatio ejus erga aliquid, etiamsi spiritualis sit, non apparet, quare non sit capax intensionis: præsertim si operatio Angeli ad extra fit immediate per imperium practicum intellectus: tunc enim sicut Angelus inferior potest confortari ab Angelo superiori quoad vim illuminationis, ut sentit S. Thomas infra q. cvi, art. 1, ita etiam quoad efficaciam dictaminis, ut fortius imperet, et moveat. Sed præter hæc omnia, poterunt duo Angeli in eodem loco materiali uniri ad aliquem effectum operando illum ex diversis partibus illius corporis, et in unaquaque applicando totam suam virtutem, quæ simul cum virtute alterius Angeli applicata ex altera parte illius corporis efficiet integrum motum, ut si sit movenda magna moles, v. g. integer mons, qui exigit virtutem ut viginti, ad hoc ut avellatur ex loco suo, et sint duo Angeli unus virtutis ut octo, alter ut duodecim, poterit unusquisque totam suam virtutem imprimere diversis partibus montis, et sic totum simul movere.

Ad secundam probationem dicitur, quod illi Angeli, seu spiritus sic producentes diversos effectus, seu operationes in eodem corpore, seu in eadem parte corporis, erunt in eodem loco materiali, non formali formalitate loci spiritualis, et contactus virtualis non formalitate solum distantiae, quæ in loco angelico materialiter se habet, ut explicatum est.

ARTICULUS IV.

Utrum Angelus in suo motu necessario debeat transire per media?

I. Supponimus duo tamquam certa in hac difficultate. Primum est, Angelos localiter moveri. Secundum est, posse moveri tam motu continuo, quam discreto. Primum negatur a Durando, et Hervæo, quos citat Vasquez hic disp. cxcrv, c. 1: Hervæus quidem, quia existimat Angelum nullo modo esse in loco; ex quo fit consequens non posse moveri de loco ad locum; Durandus vero, quia existimat Angelum simul esse in omnibus locis, in quibus esse potest, id est, esse ubique intra suam sphaeram, in qua potest adesse. Utrique falsum dicunt, et contra communem modum loquendi Scripturæ et patrum, et sic ista sententia non est tuta in fide. De Scriptura constat manifeste, Exodi xiv: *Tollensque se Angelus Dei, qui præcedebat castra, abiit post eos*: Job 1 dicitur de diabolo: *Circuivi terram, et perambulavi eam*: Isaïæ vi: *Et volavit ad me unus de Seraphim*: Lucæ 1: *Et discessit Angelus ab ea*: et cap. 11: *Et factum est ut recesserunt Angeli in cælum*: Matth. xxviii: *Angelus autem Domini descendit de cælo*. Descendere autem, recedere, abire, circuire, moveri est. Deinde, quia est articulus fidei, animam Christi descendisse ad inferos, et de anima Lazari dicitur Lucæ xvi quod: *Portata est ab Angelis in sinum Abraham*; descensus autem sine motu intelligi non potest, si verus, et proprius descensus est, quem in anima Christi fateri oportet: ergo similiter in Angelis verus motus erit.

II. Eodem modo sensum Scripturæ patres sequuntur, et aperte mo-

tum tribuunt Angelis, ut Nazianzenus oratione xxxiv circa finem, dum dicit de Angelis: «Loca omnia peragravit omnibusque impigre adsunt; tum ob ministerii promptitudinem, tum ob naturæ levitatem.» Et Damascenus lib. 1 de fide, c. xvii: «Angelus ob naturæ pernecitatem celeriter transit, in diversis locis operatur:» et lib. 11, cap. 11 dicit quod: «Cum Angelis a cælo in terram mittuntur, non manent in cælo.» Hoc enim consonat ei quod dicitur Apocal. xii: *Neque locus inventus est eorum amplius in cælo*. Denique, videri potest Ambrosius lib. 1 de Spiritu sancto, cap. x; Chrysostomus homil. 111 in epistola ad Hebræos, ad illa verba: *Omnes sunt administratorii Spiritus*; Hieronymus epist. l111 contra Vigilantium, et alii multi. Ex quibus fit, quod quando Scriptura ponit Angelos descendere, et ascendere, mitti, etc. non possit id explicari ratione aliquid effectus de novo, sicut explicamus descensum, et missionem divinarum Personarum; quia supponitur apud Scripturam, et patres Angelos non esse ubique, sed mutare loca. Et tunc nomen descensus, debet sumi proprie sicut sumitur de descensu animæ Christi ad inferos.

Denique, ratio manifeste hoc probat, quia Angeli non sunt ubique, cum sint substantiæ finitæ, et limitatæ, et habeant intellectum, et voluntatem, quibus valent cognoscere, et velle præsentiam in alio loco, vel absentiam ab illo, sicut Dæmones rogabant Christum, ne irent in abyssum, Lucæ viii. Ergo debent habere potentiam ut moveantur: frustra enim Angelis tribueret natura voluntatem, seu appetitum mutandi, et denegare potentiam loco motivam, præsertim tam perfectissimis, et nobilissimis creaturis.

III. Statim autem se offerebat dif-

ficultas de isto motu locali, an sit intrinsecus in Angelo, et intrinsecum terminum producat. Hoc tamen ex dictis in superioribus articulis facile dignosci potest: dicimus enim in Angelo, quando movetur de loco in locum dari intrinsecam mutationem, et aliquid de novo produci, et relinqui in Angelo, quando movetur, si moveatur per se, et non solum per accidens. Hæc tamen mutatio non acquirit aliquid intrinsecum in Angelo, quod pertineat ad existentiam spatii, et distantiam, vel propinquitatem penes puncta aliqua fixa, sed producit aliquid pertinens ad contactum activum, quo Angelus tamquam forma activa applicatur diversis corporibus existentibus in diversis spatiis, et subjicit ea sibi tamquam passum agenti, et quia talia corpora sunt in diversis distantis, dicitur consequenter, et mediate respicere distantiam: sicut si posset anima rationalis informare diversa corpora, transeundo de uno in aliud, non acquireret primo, et per se distantiam, sed unionem, seu conjunctionem informativam, et ex consequenti distantiam: et idem esset si corpus Christi in sacramento relinqueret istas species, et poneretur sub aliis. Quod enim mutatio, seu motus in Angelo ponat aliquid intrinsecum in ipso, et non solum in spatio, seu corpore, ut putavit Cajetanus q. l111, articulo primo constat, quia Angelus vere, et proprie movetur de loco in locum: ubi autem est mutatio, ibi est motus: si autem tota mutatio passiva esset in spatio, seu corpore, Angelus solum moveret active, non autem moveretur vere, et proprie, quod est incidere in sententiam Durandi impugnatam. Nec obstat, quod Angelus in suo motu locali non perficitur a loco, sed perficitur locum: licet enim non perficiatur a loco materiali, sicut corpora quæ